

sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?

Tusc. I. 13. Ut firmissimum hoc afferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de diis prava sentiunt, (id enim vitioso more effici solet); omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur; nec vero id collocutio hominum, aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus: omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est.

De Leg. I. 8. Ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat.

De nat. Deor. I. 23. — Ego ipse (Cotta) pontifex, qui caerimonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim; multa enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum nulli esse videantur. Sed vide, quam tecum (Velleio Epicureo) agam liberaliter. Quae communia sunt vobis cum ceteris philosophis, non attingam, ut hoc ipsum: placet enim omnibus fere, mihi que ipsi in primis, deos esse; itaque non pugno; rationem tamen eam, quae a te affertur, non satis firmam puto. Quod enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur. Quod quum leve per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notae tibi sunt opiniones nationum? Equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. Quid? Diagoras, ἄθεος qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, cujus a te modo mentio facta